

D. Ambrosius Senior Vraniczany . . . . .	100 fl. CM.
D. Ambrosius Junior Vraniczany . . . . .	100 " "
D. Clar. Professor Moises . . . . .	50 " "
D. Medicinae Doctor Demeter . . . . .	80 " "
D. C. Dionisius Sermage menstruae 1 fl. item D. Comes Carolus Feszтетich menstruae 2 fl.	

Praeterea vovet praenominatus Illustrissimus Dominus Comes Joannes Draskovich quatuor florenos menstruos eoque, donec praesens ordo et productio locum habuerit. Quodsi autem sub Aegide Regnicolari semel de emendo Theatro actum fuerit, et sufficiens fundus modo Actiarum conflatus exstiterit — pro hoc Casu offert Mille florenos, cuius Interesse tum pro sumptu converti poterit. — Oblationibus his factis dignabatur Excellentissimus Dominus Banalis Locumtenens hoc in merito Regnicolarem Deputationem sub Praesidio Illustrissimi Domini Comitis Joannis Draskovich, cum interventu Ill. D. C. Georgii Orsich et Emerici Inkey, Camerariorum Regiorum, Sp. item Dominorum Joannis Csoka, Comitatus Posegani S. Vice-Comitis, Josephi Stajdacher, L. et R. Civitatis Zagrabienensis Judicis, Metelli Osegovich, Comitatus Varasdinensis Or. Notarii, Ludovici Jellachich, ac Ludovici Szinkovich, Sedralis Assessoris, Actuarii munere functuri, consessuram gratiose nominare.

Actis Deputationis huius relatis, unice in quantum procedens Deputatio Interusuria a praeoblatis Summis secundum opinionem ejusdem Deputationis ellocandis obventura, in sublevamen Actualis Societatis Theatralis convertenda existimavit (residuis propositionibus fatae Deputationis approbatis) illa intercessit alteratio, ut quaestionata Societas Theatralis ex proventibus et subsidiis hucdum perceptis, per neo offerendas quottas pro re nata augendis ultra sustineatur, Interusuria vero oblatarum Summarum mox dum deposita fuerint pariformiter ellocentur, taliterque Capitali accrescant.

Caeterum Excellentissimus Dominus Banalis Locumtenens et Episcopus Zagrabienensis interpellatus est, ut tam Inclytas Jurisdictiones quam etiam singulativos ex Distinctionibus SS. et OO. ad faciendam tam in Scopum adaugendi Capitalis pro constabiliendo in futurum Theatro Nationali destinati, quam etiam menstruae pro sublevamine Actualis Societatis Theatralis generosa oblata provocare dignetur.

Tandem pro coronide altefata Sua Excellentia Commembra Suprafatae Deputationis provincia sua tam egregie defunctae, qua permanentem Regnicolarem Deputationem pro manipulatione et superinspektione Fundi Theatralis juxta mentem per praefungentem Deputationem depromptam ordinatam constabilivit, quam etiam pro manipulatione pecuniarum D. Perceptorem Krsnyavi, qui Curam Casarum Regnicolarium omni occasione maxima cum promptitudine in se suscepit, eademque semper singulari cum Zelo et exactitudine tractavit, designavit. Eundemque Dominum Perceptorem per SS. et OO. gratanter acceptatum neo ordinatae permanenti Deputationi gratiose adjunxit.

(Caeteris exmissis.)

Originale in Archivo Regni Croatiae.